


SERENISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO  
DOMINO  
CHRISTIANO IIII  
COMITI PALATINO AD RHENUM  
DUCI BAVARIAE  
COMITI VELDENTIAE SPONHEMII ET RUPIS RABOLDI  
DYNASTAE IN HOHENACK &c.  
PRINCIPI AC DOMINO  
MEO INDULGENTISSIMO

SERENISSIME DUX,

PRINCEPS AC DOMINE INDULGENTISSIME,

 *quamquam ad eos, quos DEUS in summo rerum humanarum fastigio posuit, temere accedere haud liceat, facit tamen vel sola pietas, quo vocabulo antiquitas sanctissima quaeque officia erga parentes, benefactores, patriam Numenque ipsum comprehensa voluit, ut verecunde & ingenue ad eos iure quodam adeamus, iisque nos nostraque omnia consecremus. Atque eadem pridem excitatus nequeo mihi amplius temperare, quo minus viam ad TE, PRINCEPS SERENISSIME, affectare audeam. Recordor scilicet venerabundus aequae ac gratissimus, quanta liberalitate in patrem, cuius commoda mea sunt*

sunt, usus sis, quanta munificentia me  
ipsum, quum in Academiis bonas artes  
colerem, sustentaveris, dein reversum  
muneribus annisque ornaveris, quam  
propitia voluntate mihi historiam pa-  
triam illustrare gestiendi aditum in ta-  
bularium TUUM dederis. Quae omnia  
caeteraque mea si mecum reputo, nihil  
in iis exstare video, quod non abs TE,  
**PRINCEPS INDULGENTISSIME,**  
profectum sit. Quid igitur magis decet,  
quam ut ea, quae a TE accepi, quodam  
modo ita redeant, ut simul publicum  
pietatis summae adversus Patriae Pa-  
trem & venerationis erga excellentissi-  
mum **PRINCIPEM** existant documen-  
tum. Optarem quidem, ut illustrius quod-  
dam atque TUIS oculis magis dignum  
opus offerre liceret: sed ea tamen est  
huius libelli materia, quae tota ad decus  
di-

ditionis *TUAE* ornamentumque patriae  
pertineat, adeo ut is haud prorsus indignus  
esse videatur, quem *AUGUSTO NO-*  
*MINE TUO* inscribam. Quod si vero has  
qualescunque primitias haud aspernatus  
fueris, efficies certe, ut maiora coner, pa-  
rique studio ad historiam Palatinam uni-  
versam in meliori lumine collocandam  
adgrediar. Quod superest, a Deo *O. M.*  
precor, ut *TE*, Imperii Germanici colu-  
men & ornamentum Gentis Palatinae  
*Augustae*, hoc ipso die, quo haec scribo,  
natali *TUO*, omnibus *TIBI* parentibus  
tam salutari, vitam omni ex parte bea-  
tam deintegro auspiciari iubeat.

## SERENISSIMO NOMINI TUO

Scribebam d. VI. Sept.  
an. dclcccxi.

devotus  
Georgius Christianus Crollius.